



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Eius literae ad Holtbaeum, Ibidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

tescente ad hæc Apostata, cæterisque ad alia more Hæreticorum dilabenti-  
 bus (non enim in causa sunt tam coniuncti, ut velit alterius alter onus subire)  
 post multam de Matrimonij Sacramento, de dispensationibus, de defectione  
 Ecclesiæ tempore Antichristi, de ordinibus sacris altercatione, mandato Re-  
 gio accedente ut Londinum captiuus transferretur, finem accepit disputatio,  
 iniurijs in res Sacras celebrata magis, quam rationibus, quemadmodum ip-  
 semet scripsit ad Patrem quendam Societatis, qui illum (cùm primum duce-  
 retur) tacito nomine, per literas salutauerat, & quamdiu Eboraci hæsit solari  
 non destitit. Sententia literarum hæc erat. "Tamenti nomen nullum præfe-  
 rant vestrae ad me literæ; satis peruideo ab amico esse, atque adeo ab commi-  
 litone, quo nomine multo maximum mihi attulere solatiu. Si possem ver-  
 bo congregi, magno gaudio foret, literis perparum explicari potest: Com-  
 mendo me igitur, mi Pater, orationibus vestris, & reliquorum Fratrum nostro-  
 rum, atque amicorum in Christo *Iesu* Domino Nostro. Quidde me futurum  
 sit ignoro; sed quidquid euenit, cum Dei gratia iuxta mihi est: Diuinæ  
 Majestatis radij vbiq; fulgent, & alæ protectionis quaquaversum tendun-  
 tur, ad Austrum, ad Aquilonem, ad ortum, & occasum solis, vbi vbi fuerint  
 ij qui obsequium illi præstantes, gloriæ nominis illius Sanctissimi ac pretio-  
 sissimi student extollendæ. Quæ etiam extolletur, uti confido, in me, siue per  
 vitam, siue per mortem: Qui caput, ipse perficiet: Viuere mihi Christus est,  
 & mori lucrum. Veniunt disputatum subinde aliqui, sed clamoribus magis ac  
 vocibus, quam argumentis agitur. Non possum plura, custos adest. Angelo  
 Custodi vestro, & toti Cœlesti curiæ, & Domino Nostro *Iesu* Christo te  
 peramare commendo: Memento mei.)

Literæ Hé-  
 rici ad Ri-  
 chardum  
 Holtbeyū.

XXXVII. Alteris explicat pleraque quæ isto in carcere contigerunt. "Li-  
 teræ, inquit, vestrae summo mihi sunt solatio; at præsentia vel ad horâ magis  
 necessaria quam verbis possum exprimere, doceret enim qua via & modo cû  
 his meis aduersarijs agendum mihi esset. Verùm quod hominibus est impol-  
 sibile, possibile est Deo. Spero dulcem *Iesum* meum, ac Dominum clemen-  
 tissimum, alijs medijs suppleturum quod in me deesse potest. Solatia ab il-  
 lo hæcenus præsidiaque præsentissima expertus sum in necessitatibus quæ  
 mihi fuere grauissimæ, idemque posthac futurum certissimè confido, quan-  
 doquidem amor quo nos prosequitur æternus est. Si omnia quæ mihi cû  
 aduersarijs acta sunt velim conscribere, exitum non reperirem, & plurimo  
 opus esset tempore. In examine exhibui scripto prolixam rationem vite trans-  
 mare actæ, locorum, actionum, consiliorum. Affirmaui solam Dei gloriam,  
 & amplificationem Sanctæ fidei Catholicæ his omnibus fuisse propositam;  
 eoque animo suscepisse me reditum in Angliam, ingenti cum desiderio redu-  
 cendi ad Catholicam, non populum tantum vniuersum, sed multo maximè  
 Reginam ipsam, & totam nobilitatem Anglicanam: & palam in os con-  
 testatus sum id ipsum me omni ope & studio vsque conaturum cum Dei  
 gratia. Ad interrogationes quæ aliena spectabant abnuui respondere. To-

D d

plisso